



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

5. Mollities juvenum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

lenæ germana soror videri potuit Cleopatra, Ptolomæi Auletæ, Ægyptiorum Regis filia, quæ amoribus suis, præter alios multos, C. Julium Cæsarem, quantum virum! & M. Antonium, bello quondam inclytum, turpissimè irretivit: parùmque abfuit, quin Octavianum Cæsarem ipsum, orbis victoriam, suis lenociniis cepisset. De ea nobilis scriptor: Vita tota Cleopatræ, theatrum quoddam libidinum, & propter has, atrociorum quoque domesticorum, crudelitatis, bellorum, ac tumultuum fuit. Joan. Bissel. Decad. 4. Part. 3. ubi pluribus graphicè depingit femina tam pulchræ, quàm sceleratæ nequitias.

V. (e) Paridis mollities me admonet, ut hoc genus juvenculos, delicatos, effeminatos, semiviros paulò vivaciore colore exprimam. Horum igitur officium, & totum est negotium, crispare calamistro crines, ventilare cinnos, aut cincinnos factitios humeris infundere, caput odorato pulvere conspergere, succussu humerorum annuere & abnuere, pedibus solo allisis obsequium deferre, arcuatis brachiis & cavis manuum volis, sed inanibus, salutationes peragere, moschum redolere, emissitios oculos in facies formosiores vibrare, vernilibus jocis honestas aures vulnerare, ligulis ornare pileum, calcososis futilibus, gladiolum cum ferrico capulo appendere lateri, follicante carbaso manicas inflare, noctu fidibus personare plateas, cantare ad limina, clandestina tentare colloquia, puellarum pudicitia insidiari, furtiva rapere oscula, ad modulos musicos agitare pedes, indulgere genio, evacuare pocula, lustrare aleâ, tempus otio transmittere, in multam lucem stertere, speculum de forma sæpe consulere, velle conspici, & alteri placere sexui, etiam citharæcedum agere, & Fescennina canere, mulieribus assidere, fabellis & flabellis earum blanditias captare, fila ducentibus, acus lini de sinu excutere, & id unum laborare, ut iis se amabiles similitudine morum faciant, seducantque, ac seducantur.

VI. (f) Sed ad Paridem. Hæc tot, tantarumque calamitatum inundatio unde profluxit, nisi ex stolido judicio, quò juvenis inconsultus & lascivus *Sapientia*, quam Pallas obtulerat, pravas Veneris illecebras anteposuit? Quid hoc iudice dementius? Si Palladi, uti par erat, primas addidisset; incomparabile donum, sapientiam, hoc est, rerum divinarum & humanarum scientiam, cognitionemque adeptus fuisset. Quid autem majus hoc munere? Sapientissimus mortalium testatur. *Melior est sapientia cunctis pretiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari.* Prov. 8. Forma brevi deflorescit: Honores fluctuant ad arbitrium popularis

M m m 2

(e) Mollities juvenum, (f) Stoliditas juvenum in delectu bonorum ac majorum.